

910

tur affectibus; quo se in præfenti insequuntur ordine, eas enoda-  
bimus. Continens verò in quibus affectibus datur, præcipua-  
cum fit, eaq; positâ ponatur morbus, ablatâq; cesset, & in hoc pri-  
mò lustranda venit. Melancholia verò hypochondriaca, deli-  
rium cum sit; ac ita in genere symptomatum functionum anima-  
lium principum depravatarum; CONTINENS PROXIMA AC FOR-  
MALIS ejus causa erit, PRAVA DISPOSITIO organi seu instru-  
menti quo mediante anima in peragendis functionibus istis uti-  
tur. Atque adeò ut demonstratum supra, nihil aliud; quam ob-  
tenebratio spirituum animalium, ac naturalis eorundem consti-  
tutio lucida, ac clara, specifica; dispositio in contrariam atram,  
tenebricosam, eiq; penitus adversam mutata, species phantasiæ de-  
pravatè ac minus dextrè offerens, ejusq; functiones lædens, ac de-  
pravans; quæ eas uti accepit non solum dijudicat, sed quod ejus  
etiam officium, alia inde elicit ac deducit phantasmata prava, eaq;  
rationi offert, ac ita eidem per objecta labem communicat. Ita, uti  
dictum supra, semper ratione læsâ, imaginatio, aut memoria, aut  
utraq; vitiata præsupponenda est, ut pluribus docet *Sennert. Inst.*  
*2. part. 3. sect. 2. c. 4.* Cum vero hæc à nobis sensibus comprehendere  
ita non possint; nec in considerationem Medici incurrant ita, ut  
eisdem per se remedia adhibeat; potius ad CAUSAM MEDIATAM  
proximiorum hanc spiritibus dispositionem introducentem, nos  
conferamus. Illam vero vaporem ac fumum melancholicum ex  
hypochondriis ad mentis arcem contendentem esse, supra dixi-  
mus. Caput enim nostrum corpori cohærens, non aliter ac te-  
ctum fumosæ domui impositum, omnes fuligines ac vapores, ex  
inferioribus partibus ascendentes, excipere. *Sen. l. 1. pr. p. 2. c. 35.* in-  
quit. Quibus variè actiones ejus cum turbentur, plurima mala  
ac damna eidem inferunt & varia pravaq; ac mira interdum Sym-  
ptomata producant. Cujus rei conspicuum satis documentum  
habemus in ebriis; qui ex vaporibus à nimio potu elevatis, deli-  
rantibus non rarò similes evadunt. Et *Gal. 3. d. loc. aff. c. 7.* inquit,  
elato ex ventriculo ad oculos fuliginoso quodam & fumoso hali-  
tu aut crassis vaporibus, similia ut in suffusione accidentia con-  
tingunt, eadem ratione sublatâ ad cœrebrum ab atrâ bile evapo-  
ratione fuliginosâ fumosâq; melancholica eveniunt in mente ac-  
ciden-